THESES
THEOLOGICÆ
EX SECUNDA SECUNDÆ D. THOMÆ

QUAS

PRÆSIDE

REVERENDO AC ERUDITISSIMO DOMINO

HENRICO MICHIELS

Achelensi, Sacræ Theologiæ Licentiato & Professore, nec non Collegiatæ Sancti Dionysii Leodii Canonico.

Defendet JOANNES BAPTISTA BOURGUIGNON ex Valle Sanctæ Annæ Seminarii Suæ Celsitudinis Alumnus.

Leodii in eodem Seminario die 30 Julij et alter 27 *horâ nonâ ante & tertiâ post meridiem. Anno 1685.*

LEODII,
Ex Officina Typographica PETRI DANTHEZ ad Insigne Sancti Augustini prope Sancti Dionysii. 1685.

SUPERIORUM PERMISSU.

THESES THEOLOGICÆ
EX SECUNDA SECUNDÆ D. THOMÆ.

I. *Virtus, Vitium.*

VIRTUS est ordo amoris; vitium est amoris inversio. Ordinatus est amor quando id quod est per se bonum, propter se diligitur: hoc est, solus Deus. Ordo amoris invertitur, quando utendo quis fruitur, vel fruendo utitur: hoc est, Deum diligit propter aliud, vel creaturam propter se. Virtutis individua comes est felicitas; vitii, miseria. Sine amore Creatoris non potest usus creaturæ esse nisi vitiosus. Usus creaturæ profluens ex amore Creatoris non potest esse nisi virtuosus. Amor enim rectus omnes affectiones habet rectas; amor perversus omnes affectiones perversas habet. Licere creaturam diligere propter se dogma est nimis epicuræum.

PERTINENTIA

I.

Non officiis, sed finibus à vitiis discernuntur virtutes. *L. 4. contra Jul. cap. 3.*

II. *Virtutis & vitii divisio.*

VIRTUS solet distingui in intellectualem & moralem; sed æquivocè. Nam ad veram virtutem requiritur ut perficiat voluntatem & faciat habentem bonum & bonorum morum. Bonus autem quis dicitur non ex eo quod intelligit, sed ex eo quod diligit: nec faciunt bonos vel malos mores, nisi boni vel mali amores. Itidem vitium intellectus à vitio voluntatis condistinctum non est veri nominis vitium. Non tibi imputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras. Cave tamen dicere quod invitus ignores illa quæ sunt jure naturæ præcepta vel prohibita. Magis propriè distinguitur virtus in Theologicam & Moralem strictè dictam: ac vitium in vitium uni & alteri oppositum. Theologica Morali prior est ordine tàm generationis quàm dignitatis. Ex quo fit dari posse Theologicam sine Morali, sed nequaquam contra.

I I.

Id quod dicitur quadripartita (& qualibet) virtus, ex Dei amoris vario affectu, quantum intelligo, dicitur. *L. de Mor. Eccl. c. 15.*

III. *Virtus Theologica triplex.*

VIRTVS Theologica illa est, quæ Deum habet pro objecto suo immediatò materiali & formali. Triplex est, quia Deus considerari potest 3. modis, 1. Ut summa veritas, æquè fallere & falli inepta. 2. Ut summa bonitas nostra. 3. Ut summa bonitas in se. Ordine generationis inter illas prima est fides; Dignitate, Charitas. Spei & Charitatis actus indifferenter se mutuo generatione præcedunt & efficiunt, sicut enim *dilectionem Spes solet accendere*, in Ps. 114. Ita spes nata est accendere dilectionem. Sine Charitate potest Fides & Spes esse, sed non prodesse. Ad fidem explicandam datum est Ecclesiæ Symbolum; ad Spem, Oratio Dominica; ad Charitatem, Decalogus. Virtutibus illis tribus militat omnis Scriptura: & quidquid sciendum est ad salutem, satis scitur, diligenter sciendo quid credi, quid sperari, quid amari debeat. Quæ maximè, imò verò sola religione sequenda sunt. Quid mirum? Cùm Deus non colatur nisi amando? Nullus actus diligenter excussus per omnia reperietur bonus, ad quem non illarum trium actus concurrant.

III.

Distinguenda est Fides à Spe, & Charitate sicut vocabulo, ita rationabili differentia. Enchrid. c. 8. *Tamen nec amor sine Spe est, nec sine amore Spes, nec utrumque sine Fide.* Ibid.

IV. *Fides.*

FIDES Dei donum est, inter dona ex gratia Christi dependentia primum. Nè ergò quære bonum opus ante Fidem. *Ubi* FIDES *non est*, BONVM OPVS *non est: bonum enim opus intentio facit: intentionem Fides dirigit.* Præf. in Ps. 31. Credere est cum assensione cogitare. Atque adeò illic tàm voluntas, quàm intellectus suas quidem agit partes; sed longè magis voluntas. Noli itaquè putare fidem esse posse sine pio motu voluntatis, nè cogaris fateri eam esse ex impio motu voluntatis. Frustrà etiam sudas dum illum pium voluntatis motum vis eximere ab amore Dei benevolo. Ad objectum fidei spectat quidquid Deus revelat. Objectum illud debet esse evidenter credibile. Apparet quod etiam possit simul ab eodem sciri. An propterea idem actus possit esse scientia & fides? Elige. Illius objecto adeò non potest subesse falsum, ut hæc enunciatio, Deus est Trinus, sit sine comparatione certior hâc disjunctivâ, Deus est Trinus vel Joannes est Joannes.

IV.

Discipulorum animi ad fidei intellectum sine aliqua mutatione AFFECTVS non poterant promoveri, Bern. serm. 5. in Ascens.

V. *Fidei divisio.*

RECTE' distinguitur fides in informem & formatam; conformiter Divo Jacobo qui illam distinguit in mortuam & vivam. Illa formatio & vita Fidei, illi tribuitur à charitate seu dilectione, dum dictus pius motus voluntatis est tam validus, ut faciat hominem paratum ad faciendum quod fides faciendum dictat, non obstante contrarietate ex parte cupiditatis. Si autem è contrà cupiditas prævaleat, fides licèt neque sit neque esse possit sine omni affectu pio, dicitur & est informis & mortua. Debet proindè fides, ut salvet, subjicere non tantum rationem divinæ veritati, sed etiam cor bonitati. Hinc à perverso dogmate antiquorum & novorum Hæreticorum, fidem sine operibus sufficere ad salutem, nimis propè absunt qui hodie putant fere omni peccata sua confitenti, tamquam vere converso, esse impertiendam absolutionem. Fides quam habuit homo in Paradiso, & quam anima retinet in Purgatorio, non est naturâ suâ distincta ab illa quæ habetur in hoc mundo. At ab omnibus illis essentialissimè differt illa Fides de qua Jacobus dicit, & Dæmones credunt. Deniquè datur fides major & minor, non tantùm in diversis, sed etiam in eodem diversis temporibus. Nec tantùm accrescit, sed etiam decrescit.

V.

Credebam aliquando ROBUSTIUS, aliquando EXILIUS Deum esse, & administrationem rerum humanarum ad illum pertinere. *L. 6. Conf. c. 5.* Fides Christi hærebat in corde meo, in multis adhuc INFORMIS, *Ibid. l. 7. c. 5.*

VI. *Infidelitas.*

INFIDELITAS merè negativa non peccatum est, sed peccati pœna. Positiva peccatum est eo graviùs, quo per illam pleraque peccata aut committuntur, aut commissa à remissione impediuntur. Dubius in fide est positivè infidelis. Qui infidelis est in uno articulo, non videtur circa ullum alium manere fidelis. Quandòquidem Paulus affirmet illum qui domesticorum suorum curam non habet, Fidem negasse, & esse infideli deteriorem, non videtur affirmandum infidelitatem, quatenus repugnat fidei, esse maximum peccatorum: & videtur esse paurum rationi conforum, quòd vocentur fideles illi, qui licèt fidem speculativè servent, in aliis tamen Dei mandatis sunt passim infideles. Admittere actum Fidei contrarium, semper est intrinsecè malum, sivè quis legitimè interrogetur sivè non: & sivè fiat dicto, sivè facto. Fidem tamen suam dissimulare frequenter non est malum, sivè silendo, sivè aliquid amphibologicè loquendo, sivè aliquid faciendo quod æquè potest habere alium finem quam falsæ fidei professionem: v. g. habitum turcicum gestare. Timendum admodum est nè multi in Ecclesiâ non sint verè fideles, defectu scientiæ illorum quæ credenda sunt, & rationis propter quam credenda sunt,

VI.

Inexcusabilis est omnis, etiam INFIDELIS, qui non diligit Dominum Deum suum EX TOTO CORDE. *Bern. de Dil. Deo. c. 2.*

VII. *Fidei causa & effectus.*

FIDEI causa principalis per se & necessaria est Dei gratia, miro & ineffabili modo ita operantis in corde hominis, ut infallibiliter & liberè præferat Dei authoritatem suis rationibus. Causæ autem illius instrumentales sunt plurimæ, ut auditus, visus, miracula, timor pœnarum, &c. Etiam Spes & Charitas subindè sunt illius causa, sed nunquam illius incipientis: quo tamen modo amor sui & timor pœnæ illam sæpè causant. Effectus illius est generatim omne hominis supernaturale bonum, tàm viæ, quàm patriæ. Meritò illi appropriatur purificatio cordis & timor, tàm servilis, quàm filialis à Divo Thoma. Meritò etiam vocatur fons orationis, &c. Et quod Paulus affirmat, sine fide impossibile esse placere Deo, verum est non tantùm de agente, sed etiam de actione. Inter alios verò fidei effectus, secundùm eundem Paulum est speciatim spes, dum fidem describit esse sperandarum substantiam rerum: quo significat non tantùm quod fides causet spem dirigendo, sed etiam per hoc, quod res speratas, licèt respectu sperantis nondum existentes, tamen in illo quodammodo efficit ac gignit & præsentia exhibet.

VII.

Posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, naturæ est hominum: habere fidem, sicut habere charitatem, gratiæ est fidelium. *L. de Præd. Sanct. c. 5.* Itaquè gratia possibilitatis in hoc statu ad veritatem gratiæ neç requiritur nec sufficit.

VIII. *Spes.*

PER spem certa cum fiducia salutis nostræ bona exspectantur: sivè habeant rationem finis (ut Dei clara visio & perfectissima dilectio) sivè rationem mediorum (ut omnia bona spiritualia hujus vitæ & etiam temporalia, quatenùs ad spiritualia obtinenda aut non amittenda conducunt) Totalis illius actus videtur non esse simplex, sed conflatus ex desiderio & persuasione possibilitatis illius quod desideratur obtinendi. Non est amor concupiscentiæ, nec illius finis cui est ipse sperans. Nam cùm hoc solum ut imprimis glorificetur Deus, mercedem intuetur æternam. Et licèt consideret Deum ut bonum nostrum, non tamen ponit nos ut finem Dei: quia considerat illud bonum, per plenum illius super nos dominium, & plenam nostri sub illo subjectionem obtinendum. Certitudinem suam accipit à fide. Certitudo illa quâ non fallit in eo sita est quòd amor

Dei

Dei non deferatur à suo objecto, si ipse non deserat, sicut amor omnium creaturarum necessariò aliquando deseritur. Non requirit itaquè illa certitudo fidem specialem sectariorum, nec persuasionem absolutam salvatum iri sperantem, sed tantùm si ille partibus suis non desit. Quamquam tamen etiam sperandum sit à Deo auxilium quo futurum est ut non desit partibus suis. Spes pro basi sua cui innititur habet Dei potentiam, bonitatem, & respectu hujus status, merita Christi mediatoris. Sicut adveniente specie aufertur fides, ita adveniente re aufertur spes: adeò ut nec habitus illius qui vocatur, nec ullus actus in patria superesse videatur. Idem dicendum de damnatis, licèt diversissimâ ratione.

VIII.

Licèt nemo possit sperare SINE AMORE, fieri tamen potest ut ILLUD NON AMET sine quo ad illud quod sperat non potest pervenire. Tamquam si speret vitam æternam, quamvis non AMET IUSTITIAM sine qua nemo ad illam pervenit. Enchr. c. 117.

IX. *Desperatio, Præsumptio.*

SPEM hinc indè contrariis armis invadunt desperatio & præsumptio, illa per defectum, hæc per excessum. Illa nimiâ attentione ad Dei justitiam, ab infinita misericordia quasi separatam, aut ad propriam miseriam; hæc contra nimiâ attentione ad Dei misericordiam, aut ad proprias vires. Neutra quidem necessariò infert errorem positivum in fide; sed utraque expresse vel implicitè sibi fingit Deum quasi medium. Optimum contra illas remedium est, dum agitur de peccato committendo, oculum magis reflectere ad justitiam ut excitetur timor; dum autem de peccato per pœnitentiam emendando; ad misericordiam ut excitetur fiducia. Præsumptio est actus positivus: desperatio apparet esse privatio positivi actus. Undè si cujus reprobatio revelaretur, sicut juxta August. Ecclesia tàm pro illo non oraret, quàm nec pro Diabolo orat, ita ille desperando non videtur male facturus. Desperatio quidem est contra attributum divinum, Deo certâ consideratione magis proprium (quia Deus materiam & rationem miserendi habet à se, puniendi, aliundè,) præsumptio tamen est & frequentior &, ob illam rationem, periculosior. Et nocentissima præsumptionis species, est supponere aut docere quod Catholici secundùm modernum vivendi modum passim salventur, modò in fine vitæ suscipiant Sacramenta exeuntium.

IX.

INSANUM EST cogitare quod poterit EXTREMI TEMPORIS INDULGENTIA subvenire. *Serm. 120. de Temp.*

X. *Timor.*

X. *Timor.*

SPEI quoad modum tendendi, contrariatur timor. Duo illa videntur semper esse connexa : sed non consistere in eodem respectu ejusdem objecti; non plus quàm amor & odium : quandoquidem spes sit aut involvat amorem alicujus tamquam boni ; timor odium alicujus tamquam mali. Sicut mens semper convertitur ad illud quod propter se amat & sperat, & quodammodo ad illud à quo id sperat obtinere : ita semper avertitur ab illo quod secundùm se odit & timet ; & quodam modo etiam ab illo à quo id videt sibi imminere. Hinc tantum abest ut anima per timorem gehennæ (quam considerat sibi à Deo imminere) ad Deum convertatur ; ut potiùs ille natus sit mentem à Deo, tamquam gehennæ quâdam causâ, occasionaliter avertere : Sicut *juxtà Bern. l. de Dil. Deo c. 9.* Spes & experientia beneficiorum convertit ad Deum ; qui effectus in anima peccatis addicto infallibiliter sequetur (nisi per affectum benevolum impediatur) sicut omnis qui male agit odit lucem. Ut videatur an timor sit bonus an malus, quid possit aut non possit in ordine ad excludendam voluntatem peccandi, &c, Videri debet, qualis sit, & quid possit amor ille ex quo tamquam fonte oritur. Nam utiquè si amor ille non sit bonus, non potest timor indè ortus esse bonus : & si amor ille non possit excludere voluntatem peccandi, nec timor hoc poterit. Cùm ergò amor suiipsius, separatus & condistinctus ab omni vero amore Dei seu justitiæ non possit excludere voluntatem peccandi, clarum est quòd nullus pœnarum timor possit illam excludere.

X.

Nec timor nec amor primitus convertit animam : mutant interdum vultum vel actum, affectum nunquam. Sola charitas est lex Domini immaculata convertens animam, quia sola est quæ ab amore sui & mundi avertere possit animum & in Deum dirigere. *Bern. Ep.* 11. Nè putaremus ex illa FORMIDINE ODIUM ... Dei potuisse surrepere, addit ... legem tuam dilexi ... Absit ut TIMORE PEREAT AMOR, UBI EST CASTUS TIMOR. *In Ps.* 118. *Conc.* 31.

XI. *Timor servilis & filialis.*

DILIGENTER inter se distinguendi sunt timor Dei servilis & filialis (à quorum priore distinguitur specie ille qui vocatur initialis, à posteriori solum secundùm perfectum & imperfectum) differunt enim à se naturâ suâ & notabilibus effectibus. Servilis est, quo quis, instar servorum mundi, timet pœnam (pœnam, inquam, in privatione alicujus boni à Deo distincti consistentem) filialis quo quis timet Deum suâ culpâ amittendum. Servilis potest esse in Filio Dei, & filialis (saltem in certo gradu) potest esse in servo peccati. Servilis potest cohibere manum, sed animum solus cohibere non potest. Illo quis timet nè

Deus

Deus veniat, ſicut adultera timet nè veniat maritus. Filiali timet nè Deus diſcedat, ſicut mulier caſta, nè diſcedat maritus. Et fides & ratio evincit ſervilem timorem non eſſe malum. Sed cum hoc ſtat quod animus ex ſolo timore pœnæ, & ex nullo amore juſtitiæ, peccatum commiſſum vel committendum deteſtans ſit perverſus. Nam ſicut eſt perverſum, Deum colere & amare merè propter nummum (eo quòd magis ametur illud propter quod aliud amatur, quam illud quod propter aliud amatur, perversè autem majus bonum amatur minùs) ita perverſum eſt merè propter pœnam averſari peccatum; quia clariſſimè majus malum haberetur minori odio. Ratio hujus & innumerabilium ſententiarum talium Divi Auguſt. *Qui timore ſupplicii non amore juſtitiæ ſe ſentit abſtinere ab opere peccati, nondum liber nec alienus eſt à voluntate peccandi*, eſt incluſa in hac alia ejuſdem ſententia; quis dubitet dicere voluntatem nullo modo juſtitiam diligentem non modo eſſe malam, ſed etiam eſſe peſſimam voluntatem? Neque poteſt negari, quin homo pœnas timens & juſtitiam non diligens ſit ita affectus, ut peccaret niſi pœnas timeret. *Nam qui* TIMORE POENÆ; *non* AMORE IUSTITIÆ, *opus legis facit*, PROFECTÒ INVITUS *facit*. *Quod autem invitus facit, ſi poſſet fieri, mallet utiquè non juberi. Ac per hoc*, LEGIS QUAM VELLET NON ESSE, *non eſt amicus, ſed potius* INIMICUS. *Conc. 11. in Pſ. 118.*

X I.

INIMICUS IUSTITIÆ EST QUI POENÆ TIMORE (mero) non peccat: & ille ſolus verè timet peccare, qui amore juſtitiæ non peccat. *Ep. 144.*

XII. *Charitas.*

OMNIUM virtutum præſtantiſſima, Charitas, rectiſſimè, & breviſſimè deſcribitur ab Auguſtino, amor rectus, boni cupiditas, bona voluntas, adeò ut *L. de grat. Chriſt. c. 21.* rideat aliter ſentientem dicens: *quaſi verò* ALIUD SIT BONA VOLUNTAS, *quàm* CHARITAS. Diſtinguenda eſt in unam perfectiſſimam, quæ filios Dei, & hæredes regni conſtituit; & aliam minùs perfectam, quâ Deus quidem ſecundùm ſe, benevolè, & ſincerè diligitur, ſed nondum tam perfectè, ut cupiditati prædominetur. Et iſtâ diſtinctione attentâ, neutiquam dubitamus dari veram Dei Charitatem nondum juſtificantem. Charitas adeò eſt hominis cum Deo amicitia, ut vere non detur inter ullos homines amicitia niſi inter illos qui Deo adhærent Charitate. Sola diſcernit inter filios Dei & Diaboli. Abſque illa lex non impletur, non ſolùm tota, ſed nec in ulla ſui parte. Mandatum enim Dei ſi fiat timore pœnæ, non amore juſtitiæ, ſerviliter fit, non liberaliter, & ideò nec fit, ait Auguſtinus. *L. de Spi. & Litt. c. 14.* Obligatio Præcepti Charitatis, tàm quoad modum diligendi, ex toto corde, quàm quoad objectum diligendi eſt naturalis, ut te docet Bern. poſt Theſim 6. citatus. Non

 tantùm

tantùm aliquoties in vitâ per se obligat, sed toties quoties deliberatè quis agit. Exprimendum non erat mandatum diligendi seipsum, quia hoc fit, nec aliter fit, quàm diligendo Deum. Charitas in damnatis est nulla, in beatis sola, in viatoribus minor, aut major, prout cupiditas est in illis major aut minor. Sed horum nemo est qui Charitatem habeat nullâ omninò cupiditate dilutam.

XII.

Qui rectè proximum & se diligit, totam dilectionem illius & sui refert ad dilectionem Dei, QVÆ NVLLVM EXTRA SE RIVULVM DVCI PATITVR. *L. 1. Doct. Christ. c. 22.*

XIII.

NUTRIMENTVM Charitatis est diminutio cupiditatis; perfectio, nulla cupiditas. Cupiditas est omnis fruitio creaturæ; sivè amor boni mutabilis propter se. Quare cùm omnis amor sit vel Dei, vel creatæ rei, duæ illæ, Charitas, Cupiditas, adæquatè dividunt actum humanum. Sicut omnium bonorum radix est Charitas, ita omnium malorum, cupiditas. Sicut nulla virtus nisi diligendo exercetur, ita nullum peccatum nisi concupiscendo committitur. Ex quo fit quod sicut Scriptura Sacra nihil præcipit nisi Charitatem, ita nihil prohibet nisi cupiditatem. Sicut per Charitatem mens creata ordinatur, decoratur, vivificatur, & beatificatur; ita per cupiditatem pervertitur, sordidatur, infirmatur, aut mortificatur, & fit misera: semper enim cupiditate se subjicit rei, cui subjicienda non est, inferiori vel æquali. Ac ideò (sicut corpora extra naturalem locum existentia) minùs ordinata, inquieta est; & nisi Charitate infrà Deum, suprà omne corpus & ad latus aliarum mentium ordinetur, non quiescet. Omnis cupiditas est, vel carnis, vel oculorum (id est curiositas) vel superbiæ: quæ sunt totidem rivuli ex proprii amoris fonte scaturientes; & ita universaliter dominium mundi inter se dividunt, ut & divitiæ & quidquid inordinatè appetitur, ad hoc appetatur ut alicui illarum trium cupiditatum vel duabus earum, vel omnibus serviant. Potest una cupiditas alteram premere (sicut Romani premebant concupiscentias carnis superbiâ vitæ) sed non opprimere. Neque enim vitia verè victa deputanda sunt, nisi Dei amore vincantur.

XIII.

Quoquo se verterit anima, ad dolores figitur alibi quam in Deo. *l. 4. Conf. c. 10.*

XIV.

SI SVPPONEREMVS augmentum Charitatis fieri per additionem gradus intensivi Philosophici, etiam fortè diceremus Charitatem non posse diminui. Sed cùm illa videatur esse imaginatio crassior; & intensio qualitatum quomodo fiat sit satis obscurum, ac nobis appareat, intensio Charitatis commodissimè explicari,

per

per majorem æstimationem, appretiationem, firmiorem adhæsionem ad Deum, &c. Putamus dicendum Charitatem posse, ut augeri ita & diminui. Idque ita explicamus. Supponimus mentem semper plenam esse amore. Aliquando solo amore Dei, ut in Cœlo; aliquando solo amore creaturæ, ut in inferno; aliàs partim uno, partim altero, ut in omni mente hominis viatoris; in qua duo illi amores aliquando sunt ferè tanquam in æquilibrio; aliàs unus alteri multum præponderat ac prædominatur. Sicut ergò potest Charitas, hoc est amor Dei, augeri, dum cupiditas diminuitur, ita nobis videtur dicendum, quòd Charitas quoque diminuatur dum cupiditas augetur. Nec sane rationes quæ allegantur contra Charitatis diminutionem ullo modo rem conficiunt. Sicut enim in S. Augustino ligato ferreâ voluntate oriebatur voluntas nova, quæ non statim erat idonea, ad superandam priorem vetustate roboratam, quam tamen paulatim debilitatam, ipsa augescens tandem superavit & fregit. *Lib.* 8. *Confess. cap.* 5. *& seq.* Ita sæpè fit contra ut in homine justo paulatim ita augeatur voluntas mala, & minuatur bona, ut prior posteriori præponderet.

XIV.

Attento hoc decantatissimo SS. PP. principio, amor non potest vacare in animo amantis, subsistere non potest quod distinctione solet responderi, Charitatem posse diminui quoad fervorem, non verò quoad intensionem.

ALIUD.

Minùs Deum amat, qui cum Deo aliquid amat, quod non propter Deum amat, L. 10. Conf. c. 29. Potes autem hodie aliquid cum Deo amare, quod non propter Deum amas, quod non sic amabas heri & nudius-tertius ergò &c.

XV. *Actus Charitatis.*

Actus Charitati proprius, sed ex quo varii alii profluunt, est diligere, sivè amare. Convenientiùs & rationabiliùs dicitur medium quatenùs tale non amari, sed solus finis. Potest Deus in hac vita amari immediatè. Solus Dei diligendi modus est, diligere sine modo. Diligere amicum & inimicum videtur æquè bonum. Dilectio Dei & proximi videtur non tantum esse diversa, sed etiam diversæ speciei. Deus diligendus est proximo magis non tantùm appretiativè, sed etiam intensivè. Sicut non potest Deus & mundus simul diligi tamquam ultimus finis cui mens amore se alliget, ita etiam non potest, nec Deus, nec mundus ita diligi. Cùm enim menti sit compertum se non esse suum bonum à quo beetur, non potest quin illud quærat aliundè. Et hinc verissimè concionatus est Leo serm. de jejunio 7. mensis: *rationalis animus; qui sine amore esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi.* Eodem modo omnis planè actio deliberata habet finem aliquem ultimum. Sed sæpè ultimus finis agentis non est ultimus fi-

nis actionis. Actus omnis veræ virtutis est actus Charitatis. Meritò tamen Paulus ad Gal. Charitati ut fonti attribuit gaudium, pacem, patientiam, &c. Non ita proprium est Charitati esse causam gaudii & pacis, quin etiam sit causa frequenter tristitiæ, & discordiæ. Sed illa est notabilissima distinctio inter amorem Charitatis & omnem amorem alium, quod hic sit semper causa tristitiæ per se, ille solum per accidens.

XV.

Amore meo feror quocumque feror. *L.* 13. *Conf. c.* 9. *Ep.* 89. *& alibi.* Amor ille est sivè creaturæ, sivè Creatoris; id est naturæ mutabilis, aut immutabilis. Ergò aut Cupiditas, aut Charitas. *L.* 9. *Tr. c.* 7. *&* 8. Ubi inter hæc locus medius pro actu indifferenti ?

XVI. *Misericordia.*

QUANDOQUIDEM ejusdem rationis sit alteri bonum facere, & ab illo malum auferre; impossibile autem sit amare & deserere, fit quod beneficētia & misericordia sint actus Charitatis. Deus non potest alicui benefacere quin ipsi bene velit & contra. Sed in creatura duo illa sunt frequenter utrumque ab altero separata. Quando alicui benefacis, debes eidem bene velle; nam si manum porrigas, nec in corde miserearis, nihil fecisti. In Ps. 145. Quia potentia nostra benefaciendi est admodum restricta, pluribus est benevolendum quibus benefacere non possis. Nam quod proximum actu interno diligere non teneamur, dogma est nimis vicinum impietati. Opera misericordiæ spiritualia sunt majoris & meriti & obligationis quàm corporalia. Obligantque arctiùs respectu conjunctiorum, atque adeò arctissimè respectu ipsiusmet miserentis. Non semper coincidunt ordo benevolentiæ & beneficentiæ: nam est cum plus debes subvenire illi quem minùs debes amare; & vice versa; pendetque à diversis motivis, ut latè ostenditur ab Aug. *L.* 1. *Doct. Christ. c.* 27. *&* 28.

XVI.

Sicut Deus tantò magis propitius est, quantò, immittendo amaras difficultates, minùs finit nobis dulcescere id quod non est ipse. *L.* 6. *Conf. c.* 6. Ita sæpissimè Superiores oderunt subditos parcendo virgæ.

XVII. *Eleëmosyna.*

SICUT æconomus habens administrationem bonorum alicujus Domini Temporalis, cum mandato superflui illius vitæ honestæ distribuendi in amicos illius Domini, haud dubiè peccaret illa sibi appropriando: ita divites peccant frequenter defectu eleëmosynarum. Sed multò graviùs Ecclesiastici; sivè interim Ecclesiastica bona, Christi in pauperibus patrimonia, in luxum dissipent proprium aut consanguineorum, sivè illa multùm coacervent. Valdè timendum est nè de

necessitate

necessitate in qua eleëmosynæ sunt faciendæ, & de superfluis ex quibus faciendæ sunt, alia sint judicia Dei, alia hominum. Quod quærit Sanctus Joannes, qui viderit fratrem suum necessitatem habere,& habens substantiam hujus mundi,clauserit viscera sua ab eo; quomodo Charitas Dei manet in eo? Intelligendum est non tantùm de necessitate extrema & gravi, sed etiam de communi. Sententia hæc,quod superest date eleëmosynam & ecce omnia munda sunt vobis,non magis probat perseverantes in peccatis gravibus per eleëmosynas posse salvari,quàm hæc, beati misericordes, quia ipsi misericordiam consequentur, cui per omnia æquivalet. Licèt supponeretur præceptum dandarum eleëmosynarum, tàm rarò obligare, quàm passim apprehenditur, Fides tamen,si esset viva, magis moveret divites ad illas dandas, quàm necessitas moveat pauperes ad illas petendas; cùm juxtà dictum Christi Domini relatum à Paulo, beatiùs sit magis dare quàm accipere.

XVII.

Multa superflua haberemus, si non nisi necessaria retineremus. *In Psal.* 147.

XVIII. *Odium.*

CHARITATI opponitur quidem omne peccatum mortale (eo quòd Charitate mens convertatur ad Deum; quolibet autem peccato mortali convertendo se ad aliquod bonum creatum,à Deo avertatur) sed speciatim & directiùs illi contrariatur odium Dei & proximi. Odium autem peccati in illâ continetur: adeò ut si quis actu justitiam diligat, & illâ dilectione durante incidat cogitatio peccati, illud videatur osurus nihil novi voluntati adveniente. Sicut impossibile est habere odio mortem nisi diligendo vitam; potest tamen vita amari sine actuali mortis odio: ita impossibile est odisse peccatum quatenùs peccatum,id est,injustitia, Dei offensa, &c. est, nisi diligendo justitiam illi contrariam: potest tamen justitia diligi sine actuali & expresso odio peccati. Sicut amor non est nisi bonorum; ita odium non est nisi malorum. Quare Deus per se odio haberi non potest nisi ex errore. Potest tamen creatura. Errore verò supposito oderunt illum damnati odio & inimicitiæ & abominationis. Et sic sunt Deicidæ, ut osor fratris est homicida: quia sicut amans vult esse quod amat, ita odio habens vult destrui quod odio habet.

XVIII.

O miseri homines, qui dum esse volunt mali, nolunt esse veritatem quâ damnantur mali! *Tr.* 90. *in Joan.*

XIX. *Scandalum.*

SCANDALUM est dictum aut factum (positivum aut privativum) tendens in spiritualem ruinam proximi. Si in illam tendat ex natura sua, vocatur datum:

ſi ex vitio alteſius ; acceptum. Illud alterius vitium ſi ſe teneat potiſſimum ex parte intellectus, eſt ſcandalum puſillorum (quale fuiſſet non ſolvere didrachma apud Matt. 17.) ſi verò ex parte voluntatis, vocatur Phariſiacum: cujuſmodi fuit ſcandalum de quo Petrus ad Chriſtum Matt. 15. Scis quia Phariſæi audito hoc verbo (non quod intrat in os coinquinat hominem) ſcandalizati ſunt? Primum genus illorum trium ſemper & ubiquè vitandum. Secundum, donec puſilli inſtruantur. Tertium vitare non tenemur dum notabilis aliqua ratio eſt in cōtrarium. Scandali peccatum majus eſt & frequentius quàm paſſim putetur. Eſt ſpeciale peccatum, ſivè agatur de formali, ut loquuntur, ſivè de interpretativo. Qui illud committit eſt reus tot peccatorum quot ex actione ſua ſecutura prævidere debebat. Et hâc ratione mirum quantum creſcat malitia in malis actionibus publicis illorum qui ſunt alios nati ad ſimilia faciēda ædificare; ſivè id fiat ex gradu ſuperiori, ſivè ex exiſtimatâ doctrinâ aut ſanctitate, ſivè undecumque aliundè v.g. nobilis aliqua fœmina veſtit ſe nudiùs quàm (ut in dies fit) honeſtas patiatur: qui reputatur doctus aut pius involat in Eccleſiaſtica beneficia, illa diſtribuit, aut poſſidet aliter quàm jura permittant; caſuiſta de ſimilibus conſultus, conſilium dat veritati contrarium, &c. Tales innumerabilium fiunt rei peccatorum.

XIX.

Exemplo Chriſtianorum, Diabolus Chriſtianos ſuffocat. *In Pſal. 93.*

XX. *Correptio fraterna.*

SCANDALO directè opponitur correptio fraterna, quâ proximus lapſus erigitur, ut ſcandalo proſternitur. Eſt correptio in gravi præcepto etiam naturali dum eſt probabilis ſpes emendationis. Verùm ex perverſitate peccantium fit non raro ut ſit contra in prohibitione, ob timorem nè correpti fiant pejores. Ut quis illo præcepto obligetur, præter emendationis ſpem etiam debet eſſe pluſquam probabile, peccatum grave eſſe commiſſum & ſine illius correptione ſaltem probabiliter non eſſe emendandum. Illis ſuppoſitis obligat omnes ejus capaces; ſed ſtrictiùs ſuperiores; qui debent inferiores ſæpè corripere de defectibus levibus, & licet ſpes emendationis non affulgeat. Idemque eſt, dum peccatum vergit in atrocem aliquam injuriam divinæ majeſtatis. Quandoquidem publicè peccantes, publicè arguendi ſunt, denturque aliæ adhuc rationes non per omnia ſequendi ordinem correptionis quem Dominus tradidit apud Matt. Ille ordo nec eſt naturalis juris, nec ita poſitivi, ut ſemper ſit ſervandus. Datur frequens caſus quo quis tenetur ſe à peccatò emendare, ut capax fiat cum fructu corripiendi; non ſolùm in ſuperioribus, ſed & in æqualibus.

XX. Non

XX.

Non parva mihi videtur causa, quare cum malis flagellentur & boni, quod ex cupiditate vel infirmitate non reprehendant eorum peccata. In qua re graviorem habet causam Præpositus. Qui tamen ipse, si propterea corripiendis male agentibus parcit, quia opportunum tempus inquirit, vel eosdem timet, nè deteriores ob hoc efficiantur, vel à bona vita avertant alios, est consilium Charitatis. *L. 1. Trinit. c. 9.*

XXI. *Prudentia.*

INTER Virtutes Cardinales primatum tenet prudentia tamquam cæterarum directrix. Describitur rerum agendarum, fugiendarumque scientia, ostendens in quavis actione quid honestum sit, quid turpe, circumstantiásque considerans cum quibus opus faciendum est ut sit rectum. Ita versatur circa objectum suum ut falli non possit & omnem excludat rationabilem formidinem. Undè toto Cœlo ab opinione differt quæ non potest esse directiva actionum humanarum ita, ut ex illa præcisè judicium moraliter certum deduci possit: Quale tamen debet esse judicium nostrarum actionum directivum ut sint honestæ. Non ergò prudenter agit qui ex probabilitate agit. Nam quis dicenti, perge hâc viâ ut lucreris nummum, sed probabiliter amittes vitam, licet sit probabiliùs non amittendam, obtemperabit? Atqui infinitiès imprudentiùs agis, qui exerces actionem quæ probabiliter est peccatum mortale, tametsi probabiliùs sit non esse mortale. Objectum materiale prudentiæ sunt actiones humanæ, formale earum honestas, talis scilicèt quæ non nudè sit conformis naturali rationi, sed potiùs legi æternæ. Functiones sunt, bene consultare, rectè judicare, & præcipere executionem: consultare, & judicare intellige conformiter ad leges Evangelii & finem Charitatis, alioquin veri nominis prudentiam non meretur. Omne peccatum est quidem suo modo contra prudentiam, tamen magis specialiter contra illam peccari potest.

XXI.

Qui vult veraciter esse sapiens (adeòque prudens) veritatem DE OMNIBUS SUIS ACTIONIBUS CONSULAT, nec aliquid omninò faciat, quod non in ea COGNOVERIT esse faciendum. *L. 3. de Tr. c. 3.* Atqui qui agit actionem, solum probabiliter licitam, non cognoscit in veritate illam esse faciendam. Ergò, &c. Quinimò cognoscere potest & debet non esse faciendam.

XXII. *Justitia.*

JUSTITIA est constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi. Non versatur primario circa passiones animi, sed circa actiones. Dividitur in commutativam

mutativam & distributivam. Prior dirigit commutationes ut nempè in illis ponatur perfecta æqualitas. Posterior servat æqualitatem proportionis ad proportionem in distributione onerum, bonorumque communium. Ex hujus violatione incurritur vitium acceptionis personarum, non tamen obligatio restitutionis. Dominium est jus gubernandi aut disponendi de rebus tamquam suis. Prius est jurisdictionis; posterius proprietatis. Jurisdictionis insuper aliud est Sæculare, aliud Ecclesiasticum, juxtà diversitatem rerum in quibus subditi gubernantur. In utroque honorandus est Deus tamquam author & finis, adeòque subditi debent eo titulo honorem & amorem Superioribus, etiam malis. Requiritur autem ad acquirendum dominium alicujus rei quæ sub nullius dominio est & sufficit, ejus apprehensio. Ad eam quæ sub dominio alterius est, titulus & apprehensio ordinariè requiruntur. Illius capax est tantum natura rationalis ut Deus, Angelus, homo. Religiosi sunt capaces dominii in communi, parvuli ante usum rationis etiam in particulari: filii familias habent dominium perfectum castrensium, & quasi castrensium.

XXII.

Cùm justitia sit virtus, sua cuique distribuens, non est in homine qui se (per mortale peccatum) aufert dominanti Deo. *L. 19. Civit. c. 21.*

XXIII. *Restitutio.*

INIUSTITIA, justitiæ strictè dictæ opposita est, alieni juris violatio. Ex illa oritur restitutionis obligatio. Est autem restitutio rei alienæ redditio vel damni illati compensatio. Non describeretur sufficienter per solam posteriorem partem. Oritur restitutio proprie ratione rei acceptæ vel ratione acceptionis: potest tamen quis teneri ad restitutionem ex utroque capite. Per se non oritur ex culpa levi vel levissima, sed ex latissima, latiori, vel lata, qualis culpa insuper debet esse Theologicè peccatum. Et quamvis, dum culpa est peccatum veniale ex imperfectione deliberationis non videatur quis teneri ad restitutionem; tametsi proximus occasione illius patiatur grave damnum, tamen qui ex motu iræ secundo primo ut dicitur aliquem interficit, non videtur excusandus. Necessaria est restitutio ad salutem in re vel in voto, necessitate medii & præcepti simul. Non volumus hinc inferre animas hominum, qui cùm fuissent injusti, sed mortui sunt pœnitentes, & cum mandato restituendi hæredibus facto, tamdiu detineri in Purgatorio donec illa restitutio de facto compleatur, quamvis verum sit quod vivis aliquando appareant & restitutionem fieri petant. Non est eadem ratio omissionis, restitutionis &. piarum fundationum. In quibus tamen non nimiam ponere debent fiduciam tenaces, sed esse memores hujus moniti,

Da tua dum tua sunt, post mortem tunc tua non sunt.

Nec opponant injusti, date eleemosynam & omnia munda sunt vobis. Luc. 11. quia hoc nihil facere pro illis ostendit Thesis 16.

XXIII.

Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. *Aug. Ep.* 54.

XXIV. *Homicidium.*

ANNO præcedenti stabilivimus esse illicitum invasorem suæ vitæ prudenter & volenter occidere per sequentia verba. Exceptis his quos Deus occidi jubet, sive datâ lege (in casu belli justi & potestatis publicæ) sive ad personam pro tempore expressâ jussione (ut in Abraham.) Quisquis hominem, vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur. *L.* 1. *de Civit. c.* 21. Cùm ergò nec ipse fons justitiæ Deus specialiter, nec lex justa generaliter (Ibid.) ostendat excipere illum, qui invasorem vitæ suæ scienter & volenter occidit: de occidendis hominibus nè ab iis quisque occidatur, nôn mihi placet consilium. Ep. 154. Quomodo enim apud illam (æternam legem) sunt à peccato liberi, qui pro illis rebus quas contemni oportet (quas amittere possunt inviti, & ob hoc amare non debent) humanâ cæde polluti sunt? *L.* 1. *de lib. arb. c.* 5. Quod verò ad legem spectat, quæ tales permittit interfici (quæ scilicèt apparet & ab hominibus legitur) illam non reprehendo; quæ *minoribus malefactis* nè majora committerentur dedit *licentiam.* Sed quomodo illos defendam qui interficiunt non invenio; Ibid. Sed nè fortè causeris post Augustinum inventum esse quod ille non invenerat, audi mentem mellifluì Bernardi, & mirare rem tanti momenti absque ullo solido fundamento à tam multis assertam. Est, ait Bern. l. ad milites Templi c. 1. *qui nec ulciscendi zelo, nec vincendi typho, sed tantùm evadendi remedio interficit hominem. Sed nè illam quidem bonam dixerim victoriam*; CUM DE DUOBUS MALIS, IN CORPORE QUAM IN ANIMA MORI SIT LEVIUS: *non autem quia corpus occiditur, etiam anima moritur*; SED ANIMA QUÆ PECCAVERIT IPSA MORIETUR. Non audis quod qui in casu nostro occidit, in anima moriatur? sic peccet illius anima ut moriatur? *Enimverò* ait idem l. de præc. & dispensat. c. 7. *Mandatum Dei est, non occides. Fac ergò* DUOS HOMICIDAS: *& unum quidem spoliandi cupiditate; alterum verò* NECESSITATE SE DEFENDENDI FACINUS PERPETRASSE: *an non hic satis evidenter inter* LEPRAM ET LEPRAM *causa separat, faciens utiquè disparem valdè* CULPAM *unius ejusdemque* TRANSGRESSIONIS? I nunc & publicè doce te illud facturum si invaderis.

XXIV.

Ex eo quòd sententiæ contrariæ assertores fatentur non licere intendere mortem invasoris, sequitur non licere illum scienter & volenter occidere.

XXV. *Fortitudo.*

FORTITUDO est virtus moderans passiones animi in rebus terribilibus, præcipuè periculis mortis sustinendis vel aggrediendis. Præcipuus ejus actus est

martyrium ad quod requiritur perpessio mortis illatæ in odium Fidei aut Religionis Christianæ. Undè si aliquam ob sectam patiatur ut Calvini, Lutheri, &c. non Dei sed Diaboli martyr est. Requiritur deindè ut se non defendat, sed absque resistentia se sinat interfici ad exemplum Christi Domini sui, qui cùm pateretur non comminabatur, tradebat autem se judicanti injustè. 1. Pet. c. 2. Insuper necesse est fides supernaturalis veritatis pro qua moritur. Et deniquè legitima dispositio: quæ non debet necessariò esse contritio quæ se sola justificat. Nec tamen sufficit voluntas patiendi pro Christo, sed necessaria est ad minimum in adultis talis dispositio, qualis ante baptismum in iisdem, & in baptizatis ad Sacramentum Pœnitentiæ requiritur.

XXV.

Etiam stoliditas quædam potest parvi æstimare aculeos & ungulas, & talia varia tormenta. Sed magnanimitas non est nisi fiat ab animo, grandi affectu & piè cohærente Deo. *L. 1. Conf. c. 9.*

XXVI. *Temperantia.*

TEMPERANTIA moderatur affectum & usum delectationũ, gustus & tactus. Species ejus sunt abstinentia, sobrietas, castitas, pudicitia. Quarum primæ opponitur gula, secundæ ebrietas, quæ est excessus in potando usque ad violentam usus rationis privationem ex inordinata appetitione & usu potus inebriantis. Quod vitium non licet committere etiam ad evadendam mortem. Nec etiam licet alios provocare ad æquales haustus, quando advertis, vel in te, vel in altero ebrietatem secuturam. Undè bene S. Amb. l. de Elecmo. & jejun. c. 14. Nec vos excusamus, qui vocatis amicos, & emittitis inimicos. Rogas ad jucunditatem, cogis ad mortem, invitas ad prandium, & ferre vis ad sepulchrum. Vina prætendis & venena suffundis. Castitati opponitur luxuria, quæ est appetitus inordinatus venereorum & est fons multorum peccatorum. Sunt species ejus fornicatio, adulterium, incestus, &c. Qui obtinuit copulam sub spe matrimonii in conscientia tenetur eam ducere, quamvis voto simplicis castitatis adstrictus sit, si tamen hoc complex ignorabat. Ad intemperantiam spectat quæ quibusdam locis obtinet, non tàm consuetudo, quàm corruptela, qua puellæ cum adolescentibus frequentant tabernas & ibi exercent confabulationes, compotationes, tripudia, tactus, &c. Non dubium est tales esse in proxima occasione peccandi: & Superiores tàm politicos, quàm Ecclesiasticos, sub gravi peccato teneri omni modo illam licentiam cohibere.

XXVI.

Serviliter observant diem Sabbathi ad ebrietatem. Quantò meliùs fœminæ lanam facerent, quam illo die saltarent. *Tract. 3. In Joan.* Alibi asserit minùs peccaturos homines si foderent. Quæ notanda sunt à Pastoribus qui in illa corruptela non reperiunt multum mali.

XXVII. *Detractio & Contumelia.*

DETRACTIO famam alterius, contumelia verò honorem; hæc palam, ista occultè violat. Detractio est peccatum ex genere suo mortale, etiam quæ fit revelatione criminis veri: esto uni viro prudenti tantùm. Crimen falsum nunquam sine peccato imponitur, nequidem in ordine ad elidendam alterius authoritatem tibi noxiam. Aperire crimen alterius verum quandoque est in præcepto, v. g. ad avertendum Ecclesiæ aut reipublicæ imminens grave damnum. Infamare seipsum per se non est contra justitiam: imponere sibi falsum crimen ob quod quis viâ justitiæ morti sit adjudicandus, est peccatum mortale, licèt fiat ad evadendos cruciatus aut mortem duriorem. Detrahere & detrahentem audire utrum damnabiliùs sit, non est facile determinare. Posterius est contra justitiam, primò si jubendo, hortando, interrogando, aut alio simili modo alter inducatur, vel animetur ad detrahendum: secundò dum quis ex justitia tenetur impedire: tertiò si in proximi diffamatione sibi complaceat: aliàs si impedire possit & non faciat peccabit contra charitatem. Ex diffamatione proximi oritur obligatio restitutionis, regulariter etiam cum jactura propriæ famæ; esto sit vir nobilis qui detraxerit plebeio, modo illius fama reipublicæ, vel Ecclesiæ non sit necessaria; imò quandoque fieri debet restitutio cum vitæ periculo. Præter restitutionem famæ non raro alia facienda est damnorum realium quæ secuta sunt: quæ obligatio transit etiam ad hæredes detractoris. Liberant quædam detractorem à restitutione, ut restituendi impossibilitas, restitutionis inutilitas, dum scilicet fama aliundè sufficienter redintegrata est; excusatque communiter remissio ejus, qui infamiam passus est, non tamen semper.

XXVII.

Quod Bernardus asserit detractorem tanquam tricipiti linguâ, uno ictu tres necare, se, audientem, & illum, cui detrahit; de posteriori verùm est etiam hoc sensu; quia quem Diabolus non potest devorare seductum ad nequitiam, famam illius inquinare conatur, ut malarum linguarum detractione deficiat & cadat in illius fauces. *Aug. Ep.* 137.

XXVIII. *Contractus, Promissio, Donatio.*

CONTRACTUS est signum externum ex consensu partium utrimque obligationem inducens; dividi solet in nominatum & innominatum, nudum & vestitum &c. Parit per se obligationem omnis contractus liberè & spontè initus: hujus capices sunt, qui bonorum administrationem habent quo usque illa se extendit. Error circa substantiam rei, vel in substantiam redundans reddit contractum jure naturæ & positivo nullum; metus gravis verò & injustè ad extorquendum contractum incussus, non jure naturæ, sed tantùm positivo. Promissio est spontanea fidei obligatio alicui facta de re, bona & possibili; homines possunt se

Deo

Deo obligare promissione merè internâ, sed non hominibus. Promissio legitimè acceptata potest obligare ex justitia, & graviter, suppositâ gravitate materiæ; an autem eadem materia, sit hic censenda gravis quæ in furto? non determinamus. Pactum de mercede operis turpis non obligat prævié ad ejus exhibitionem, si verò opus sit exhibitum, secundùm D. Th. licet meretrici retinere mercedem acceptam. Ut proprio nomine donare possis, rei dominium & administratio non impedita requiritur. Donatio inter vivos, quâ quis donat omnia sua bona, etiam futura, ipso jure invalida est, nisi fiat in pias causas, aut juramento firmetur?

XXVIII.

Dignatur Deus, quibus omnia debita remittit, promissionibus suis etiam debitor fieri. *L. 5. Confess. c. 9.* quantò magis obligat promissio hominis?

XXIX. *Emptio, Venditio.*

IN emptione & venditione pretium justum, aliud est legitimum, aliud vulgare; hoc triplex est, summum, medium, & infimum; igitur pretio summo vendere, aut infimo emere secundùm se licitum est; haud tamen licitum putamus, ut venditores conspirent, nemini, nisi summo pretio, res suas vendere; vel emptores nihil certarum rerum nisi infimo emere: injustitiæ crimine innectuntur mercatores, suprà justum pretium merces suas distrahentes, etiamsi hoc titulo, quia creditò; item infrà ementes, quia anticipatâ pecuniâ. Neque excusabitur quis ex hoc capite cariùs vendens quod emens eâ re multum egeat; neque emens etiam, quod indigentia domini vendere cogat. Peccat quisquis pro sinceris emptori imponit merces vitiosas, adeò que venditor tenetur emptorem monere de vitio rei occulto; imò licèt ita sit perspicuum, ut ordinariâ diligentiâ deprehendi possit, equidem si rudis sit emptor & imperitus, etiam tenebitur illud manifestare. Mercatorum aliorumque perjuria non excusat inadvertentia consuetudine jurandi acquisitâ (nisi forte per pœnitentiam sit revocata) Sunt peccata verè mortalia.

XXIX.

Mimus quidam promiserat in theatro se proximis ludis dicturum quod omnes vellent, & in animo haberent. Ad diem constitutum plurimis præsentibus dixit; *vili vultis emere & carò vendere.* In quo dicto, omnes conscientias invenerunt suas; quæ tamen dispositio reverà vitium est: & potest quis adipisci talem justitiam, quâ illi vitio resistat & vincat. *Lib. 13; Tr. c. 13.*

XXX. *Mutuum & Usura.*

MUTUUM est contractus quo res numero, pondere, aut mensurâ constans, usuque consumptibilis, in alterius dominium transfertur cum obligatione reddendi aliam ejusdem speciei & bonitatis; usura est lucrum ratione mutui proveniens. Prohibita est jure humano, divino positivo, & naturæ: quo nonobstante licet aliquando petere mutuum, ab eo qui creditur non daturus, nisi sub usurâ;

abſci. Illius maculam non abſtergit obligatio ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus. Pactum de lucro ceſſante & damno emergente, quando verè ſubexiſtunt, licitum eſt; an etiam ratione periculi ſortis paciſci liceat? nullo modo probamus. Mutuare cum obligatione, ut alter tibi remittat reſtitutionem famæ, honoris, vel alterius rei, quam à te juſtè exigeret, uſurarium eſt. Idem cenſeſi mutuatario injeceris obligationem, poſteà æqualiter remutuandi, vel beneficium tibi conferendi. Cavere oportet à triplici contractu cum eodem, ſocietatis, aſſecurationis ſortis, & aſſecurationis certi lucri. Talis enim ad palliandas uſuras plurimum ſervit. Lucri acquiſiti per uſuras uſurarius non fit dominus, niſi cum rebus ſuis ita permixtum ſit, ut amplius diſcerni nequeat, adeò quod ad reſtitutionem illius tenetur, necnon hæredes ipſius, ſaltem juxtà vires hæreditatis.

XXX.

Crudelis æquè vel magis eſt, qui trucidat pauperem fœnore, quàm qui ſubſtrahit vel eripit aliquid diviti. *Epiſt.* 54.

XXXI. *Cenſus & Cambium.*

LICITA eſt emptio cenſus realis perpetui, non tantùm antiqui, ſed etiam novi, qui per emptionem primum conſtituatur; ſpectatâ quoque rei naturâ, licita eſt emptio cenſus perſonalis. Cenſus utrimque redimibiles nobis non probantur. Cambium, (quod eſt lucroſa quædam pecuniarum cum pecuniis aliquo modo diverſis permutatio) reipublicæ utile eſt, & frequenter neceſſarium. Plures tituli ſunt; ex quibus ratione cambii licet aliquid accipere; majus tamen aut minùs temporis ſpatium, quod ſolutioni faciendæ præfigitur, illius pretium ex ſe variare nequit ultra juſtum cambii pretium; non licèt campſori exigere à campſario iſta, quæ proviſiones vocantur. Cambium ſiccum uſurarium eſt. Campſor veriſimiliùs poteſt licitè lucrari etiam ex cambio in ipſius commodum cedente.

XXXI.

Turpis eſt, & fornicatur à Deo qui amat lucrum luteum, quod dum apprehenditur, inquinat manum. *L.* 5. *Confeſſ. c.* 12.

XXXII. *Judex.*

LICITUM eſſe judicare Catholicâ Doctrinâ convincimur, ſervatis ſcilicèt illis, quæ ratio juſtitiæ exigit; puta quòd judicium feratur ab eo qui authoritatem habet, & ſufficientem legum, quibus ſe conformare debet, ſcientiam, quâ deſtitutus Judex vel Officium dimittere, vel ad illud capacem ſe reddere tenetur; aliàs peccabit graviter; & ſi judicando injuriam alteri partium intulerit, incurret obligationem reſtitutionis: ad quam etiam à Confeſſario, ſi opus fuerit, per negationem Abſolutionis compellerur; ſimiliter agendum cum illis, qui lites diutiùs, quàm neceſſarium foret protrahere ſolent, non ſine graviſſimo partium incommodo. Judex ſicuti eſt perſona publica, ita etiam ex

ſcientiâ

scientiâ publicâ procedere debet. Verùm quid si scientiâ privatâ sciat eum esse innocentem, qui per testes legitimè probatur nocens ? Si agatur merè de mulctâ pecuniariâ & judicium declinare non possit, poterit talem condemnare : si de vita aut mutilatione, potiùs Officii privationem atque etiam mortem sustinere debebit quàm talem condemnare.

XXXII.

Cùm judicia & testimonia, quæ nec justa, nec vera vendenda sunt, iniqua & falsa venduntur, multò sceleratiùs utiquè pecunia sumitur. *Epist.* 54.

XXXIII. *Justitia distributiva*

JUSTITIA distributiva in distributione communium, v. g. Officiorum, Dignitatum, Onerum, &c. servat æqualitatem proportionis, ad qualitates eorum quibus fit distributio; eas nimirùm, quæ in simili distributione debent considerari: Officia publica, tùm Sæcularia, tùm Ecclesiastica ex intentione reipublicæ & Ecclesiæ conferri debent dignioribus; hinc eorum distributores partes dispensatoris infidelis agunt, cùm indignos aut minùs dignos præferunt dignis aut dignioribus; & quidem si ad curas animarum non promoveant eos, qui digniores & Ecclesiæ utiliores sperantur, peccatum mortale committunt, multorumque aliorum peccatorum participes efficiuntur; & requiret Christus sanguinem ovium suarum de manibus eorum. Et profectò admodum periculosus est modus, quo hodie passim beneficia conferuntur, adeuntur, & officia illorum obeuntur.

XXXIII.

Dices. Si ita est causa hominis cum Beneficiis, non expedit habere privilegium illa conferendi. Resp. Non omnes capiunt verbum hoc. Sed concedimus totum; & dicimus non tàm esse privilegium, quàm onus: quia ex illo nihil potest acquiri temporalis lucri; & maximum est periculum æterni damni.

XXXIV. *Beneficia.*

BENEFICIUM est jus perpetuum percipiendi certos fructus ad sustentationem, de Bonis Ecclesiasticis propter officium spirituale, authoritate Ecclesiæ constitutum. Pluralitas Beneficiorum, dum unum ad honestam intertentionem sufficit, non tantùm juri positivo, sed & recto naturæ ordini contrarium est; hanc perversionem an evadent, qui per dispensationem Beneficia Beneficiis accumulant? videriat si sapiunt; hic cavillus multos securos reddit, tutum verò neminem: quoniam Papa non est Dominus, sed Dispensator: idcòque qui iniquam dispensationem petit, iniquitatis causa est, & qui eâ utitur eâdem semper irretitur iniquitate. Qui verò Beneficia Ecclesiastica obtinent personalem residentiam de jure aut consuetudine exigentia, quamvis animarum cura, vel simile onus iis annexum non fuerit, nequaquam suæ obligationi satisfaciunt, per hoc quod semel duntaxat in die Officia Chori intersint; esto per consuetudinem (vel veriùs corruptelam) ad plus se non obligari prætendant; nec à mortali excusandi sunt. Quære ad restitutionem fructuum pro parte non teneantur? Tùnc maximè hoc verum est, dum sic Divina Officia negligunt, ut compotationibus, ludis chartarum, choreis, venationibus, & similibus exercitiis vacare possint; pariter dicendum de illis, qui superflua ex Beneficiis pauperibus debita in usus profanos convertant,

tidt, hic impertinens est. an illorum sint domini: nam quid ad rem? parum enim refert, utrum damnentur, quia peccârunt contra Justitiam, an quia contra Charitatem; sed quid dicendum de illis, qui Officium Beneficio correspondens obeunt per alios per Vicarium cantantes, Chorum frequentantes & generatim laborantes? Quandoquidem juxtà Paulum, qui non laborat, non manducet. sed dicent fortassè satis est laborare per alium. Profectò si non debet manducare nisi qui laborat, fit ut qui non per se, sed per alium laborat, non debeat ipse manducare, sed contentus esse, si loco illius alius manducet.

XXXIV.

Arbitror Sanctas Observantias Prælatorum prudentiæ & fidei creditas, non subditas voluntati. *Bern. lib. de precepto & di p. cap. 4.*

XXXV. *Simonia.*

SIMONIA est studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale, aut spirituali annexum: grave peccatum est, tùm jure naturæ, tum positivo prohibitum: ut committatur Simonia non requiritur expressus & formalis contractus, sed interpretativus virtualis sufficit; undè ab hoc vitio nequaquam immunis est, qui pro spirituali dat temporale, licèt non per modum pretii, nec per modum motivi, sed etiam per modum compensationis gratuitæ, vel, ut ajunt, simplicis recognitionis, sivè etiam tanquam debitum ex gratitudine & benevolentiâ & beneficio accepto ortâ; Simonia quoque committitur dum pecunia alicui datur, ut apud Collatorem pro Beneficio impetrando, intercedat. Dum Monasterium est fundatum aliquid exigere ab ingressuris, sive pro ingressu, sive pro alimentis tanquam injustum & Simoniacum damnamus pœnas a Jure inflictas incurrunt Simoniaci subjacentque oneri restitutionis pretii simoniacè accepti.

XXXV

Licèt Simoniacus dicatur fuisse Esau, Primogenita sua vendens, non idèò talis etiam dicendus est Jacob: quamvis illi dixerit. vende mihi primogenita tua D. Thom. Similiter potest quidem recipiens personam ad Professionem esse Simoniacus summam recipiendo, sic ut Simoniaca non sit recepta nec alter illius vices agens. Sed secus se res habet in Beneficiorum collatione & acceptatione.

XXXVI. *Religio, Votum.*

RELIGIO cultum Deo, ut primo rerum omnium principio debitum exhibet: Varii sunt ejus actus, devotio, oratio, adoratio, votum, &c Devotio est prompta voluntas tradendi se ad omnia illa, quæ spectant ad Dei famulatum; effectus devotionis proximus & essentialis est observatio mandatorum Dei, sine qua omnis alius cultus est, vel fictus, vel inutilis; hinc patet quàm longè absint à vera devotione, qui pro more habent legere certas preces, gerere certa signa, licèt sacra, confidentes per hoc se bene moriturus; nec timent pericula suæ damnationis dum interim ducunt vitam per varia peccata damnabilem: patet ulteriùs quam sint diversi à Doctrina Christi, qui talem spem, seu veriùs præsumptionem, per libros, conciones, aut aliter fovent Advertant tales quod Christus Dominus, adolescenti consulenti, quid faciendo vitam possideret æternam; non dixerit quidquam talium, sed hoc unicum; si vis ad vitam ingredi? Serva mandata. Oratio est ascensio mentis in Deum; tota natura veræ orationis in desiderio, sivè in ipso amore Dei absolvitur; sine intermissione orandum est, quia semper desiderandum & amandum est, qui ad Horas Canonicas obligantur, non satisfaciunt obligationi suæ officium oretenùs recitando absque internâ attentione; non tamen necessaria est per totum Officium attentio actualis cum reflexione; qui non potest legere totum Officium tenetur ad partem quam potest Votum est promissio Deo facta de meliori bono, potest esse de opere præcepti, eritque opus illud sic factum meliùs & magis meritorium; votum obligat sub mortali suppositâ materiæ gravitate, sufficienti deli-

beratione

beratione & libertate: voti solemnitatem in ordinationem Ecclesiæ solidior redundit opus eo; voti obligatio desinere potest mutatione materiæ, irritatione, commutatione, & dispensatione; dispensatio requirit justam causam, quâ deficiente, non solùm illicita, sed irrita erit.

XXXVI.

Non colitur Deus, nisi AMANDO, S. Aug. Qui ergò necessitatem amandi Deum tollit, religionem destruit.

XXXVII. *Juramentum.*

JURAMENTUM est invocatio divini testimonii, licitum est, modo stipatum sit veritate, justitiâ, & judicio; aliud est solemne, aliud non solemne, aliud promissorium, aliud assertorium; ut promissorium obligatorium sit, non requiritur voluntatem se obligandi; multò minùs voluntatem adimplendi promissum. Jurare exteriùs sine animo jurandi, est peccatum ex genere suo mortale. Juramentum cum restrictione purè mentali est formale perjurium, perjuri proindè sunt, qui cùm aliquod officium publicum, mediante pecuniâ sunt adepti, solitum nihilominus audent præstare juramentum, quamcumque in animo suo restrictionem apponant.

XXXVII.

Videmus multos jurare nolle; sed quia consuetudinem lingua tenuit, non posse refrænare. l. contra fortunatum disp. 2. An ideò excusandi? *Non possumus dicere ad mali surpem* (cupiditatem) *non pertinere.* Ibid.

XXXVIII. *Superstitio.*

SUPERSTITIO est cultus falsi numinis aut veri, sed incongruus, hic continet superstitionem cultus superflui, & perniciosi, qualis esset, si quis nunc verum Deum coleret sacrificiis & ceremoniis antiquæ Legis. Superstitio falsi numinis comprehendit Idololatriam, Divinationem, Observantiam vanam, & Magiam. Idololatria directè creaturam pro Deo recognoscit, est unum ex gravissimis peccatis. Divinatio generatim sumpta, non semper est superstitiosa, sed tunc demùm cum fit operâ Diaboli expressè vel tacitè ad hoc invocati; talis est qui per regulas Astrologiæ judiciariæ & natalitia hominis constellatione desumitur de ipsius complexione, futuro statu, & actionibus liberis, saltem si hæc ut certa, vel ut multum probabilia prædicantur. Signa maleficii amovere & destruere licitum est, non tamen maleficium maleficio tollere aut consentire ut isto modo à maleficio liberemur; proindè etiam non potes recursum habere ad maleficum, quem putas non aliter te curaturum, esto aliter possit.

XXXVIII.

Qui totos dies precabantur & immolabant, ut sibi sui liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati. *Apud August. l. 4. Civit. c. 30.* Faciebant ne hoc ex amore liberorum? Non; sed suipsorum.

IMPERTINENTIA

I.

Amor Dei *super omnia*, & amor Dei *ex toto corde*, sunt magis & minus communia.

II.

Dicere creaturæ, diligo te, ago tibi gratias, sum tuus famulus, &c. *ex toto corde*, est saltem materialis idololatria

III.

Datur amor Dei major alio amore Dei ex toto corde, nec habente admixtum ullum amorem contrarium.

IV.

Nusquam legimus in SS. Scripturis, *non est voluntas nisi à Deo* Et rectè scriptum non est, quia verum non est. *De Sp. & Litt. c. 31.* MOTUS QUIPPE' AD CREATURAM A DEO EST, ET A DEO NON EST, *Ex L. 12. Conf. c. 11.*